



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Andreas Corsinus. 6. Januarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

24 VITÆ SANCTORUM. 6. Ian.  
se Regem ullum quæri indignatus, bar-  
bara animo jam tum concepit consilia,  
mox sanguinem, neces, orbasque ma-  
tres paritura. Aulicis tamen artibus ap-  
prime instructus dolos dolis texit, & ut  
noceret, amare se finxit, ut perimeret  
adoraturum se hostem etiam ipse pro-  
misit. Subhæc à Magis, fidere iterum an-  
te ambulone, Bethlemium perventum.  
Ibi confidens stella, velut adventum gra-  
tulatura, hospites Reges è tecto saluta-  
vit. Extemplò ingrediuntur, Regumque  
Regem in throno suo præsepi, sapien-  
tiam in infante, in homine Deum ado-  
rant: addunt deinde tributa, opes pere-  
grinas, aurum, thus, myrrham. Inde viam  
aliam in regna avita dux somnus dor-  
mientibus ostendit: sed sic idem hic vigi-  
lantem Herodem delusit. *Ex hist. Evang.*

*Sicut Magi de thesauris suis Mysticas  
Domino munerum species obtulerunt, ita  
& nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt  
digna, promamus. S. Leo f. 2. de Epiph.*

#### S. ANDREAS CORSINUS.

6. Januarij.

**A**NDREAM CORSINUM parentibus MA-  
GNA VIRGO donavit, cum illi prius  
eundem ex voto necdum natum eidem  
donassent. Videbatur sibi mater utero  
lupum ferre, sed qui in æde sacrâ gra-  
tissimâ metamorphosi in oviculam  
abiret.



abiret. Oraculum fuit non somnium.

CORSINUS etenim adolescens non nihil liberior aliquamdiu cum mundo ululavit, post tamen gravibus ac assiduis parentis suæ monitis captus, religiosæ vitæ se mancipavit? à quâ necquidquam eum abducere adnitus est veterator, callidus, quamvis nobilem mentitus vultum, quamvis opulentum oppidò conjugium pollicitus. Primum litanti augustissima cæli Regina visenda se cum Angelis obtulit, atque his eum affata est verbis: *Meam servies servitutem, ad hanc à me delectus.* Posthæc Præsul nominatus Fesulanus, cum fugâ se honori subduxisset, ab infante tum fante est proditus. Puer, nescio quis, cum sacro fonte tingeretur, Andreas lacrimas frequentes affudit: rogatus causam, respondit, puerum eum familiæ suæ probro, patriæ exitio natum; id quod reapse postea urbs credidit, cum vidit. Cum annum deinde ageret LXXI. ipso Christi nascentis pervigilio egregius servus à Dominâ suâ vocatus ad libertatem est. Mortuum virgo sanctitatis famâ percelebris, per scalas vidit cælum conscendere; puto ne ullus Virginis amator dubitet eodem conniti, quando scalas habet. *Ex Surio.*

*In Ecclesiam ingredi, ubi Christus discumbit, tuumque præstolatur adventum, atque in spiritu humilitatis pedibus pro-*



26 VITÆ SANCTORUM. 7. Ian.  
volvere Domini Iesu; confitere scelera, de-  
tergere vulnera, reatum accusa, sponde con-  
versionem, pete veniam, ut plenam conse-  
quaris indulgentiam. Laur. Iust. in ser-  
monib.

S. LUCIANUS M. 7. Ian.

POSSUMUS hodie ignoscere Samosatæ,  
quando maximum probrum ingenti  
decore obtuit, & LUCIANUM dedit,  
qui non jam rideret cælum, sed moreret-  
tur pro cælo. Duodennis puer poterat  
tamen pater dici, cum hereditatem pa-  
ternam jam tunc pauperum prædem fe-  
cisset. Mox inter cœnobitas adscrip-  
tus, & Sacerdotio initiatus, Antio-  
chiæ ludum literarium aperuit. Miner-  
val pauperibus cessit, libros Christianos  
restituit, & sacra volumina, quæ du-  
dum superstitione corruperat, ad Hebrææ  
linguæ regulam censuit. Sed Maximia-  
nus non nescius pietatem Christianam  
non posse rectius quam cum musarum  
lacte, literis inquam, instillari, ad pæ-  
nas magistrum tam sancti ludi vocat;  
quod tamen vel vultûs majestate meliora  
persuadere LUCIANUS diceretur, non  
nisi velatis oculis huic impius Agamem-  
non locutus est. Promissis primò ingen-  
tibus in martyrem pugnavit, tum in  
cippum injecit, post in testarum fragmi-  
na. Ultimò fame longâ ad deditiorem  
com-